ADSERTIO
HYMNI MARIANI,
Cujus eſt initium
SALVE REGINA,
Carmine Belgico tranſlati:

ADVERSUS
Disputationem Academicam eximii
Domini ac Magiſtri,
MARTINI STEYAERTII
Somerghemii.

Autore *CHRISTIANO PHILIRENO*,
Sacræ Theologiæ Profeſſore.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

IRENOPOLI. M.DC.XCIX.

ADSERTIO HYMNI MARIANI.

Die xxiv. menſis Novembris proximè elapſi prodiit Lovanii Diſputatio Theologica, in Schola Academica publicè celebranda, *Præſide Reverendiſſimo Viro Domino, ac Magiſtro Noſtro, Martino Steyaert Somerghemio, Vicario Apoſtolico Sylvæducenſi, Decano S. Petri Lovanii, &c.* Cum tanto Viro nobis res eſt, Amici. Auſcultate: paucis rem expediam. Scripturæ verba Diſputationi præfixa, moris & ornatus gratia, hæc erant: *Joſeph virum Mariæ, de qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus.* Mat. 1. Hinc multa ac præclara concludit Vir eximius: ſed principio rerum dicendarum occaſionem pandit, ſic fatus ab alto: *Occaſionem huic quæſtioni prabet Verſio nova Antiphonæ,* SALVE REGINA, *quam à loco Approbationis iterum Embricenſem vocabimus, nam locus Impreſſionis ignoratur.* Bis falleris, eximie Doctor. *Verſio* fortaſſe tibi *nova* eſt: ſed noſtratibus jam annos octo, nullo obmurmurante, uſitata. Deinde nec *à loco Approbationis*, *Embricenſis* tibi *vocanda* fuit: quum ante tot annos alibi ſit approbata: neque *locus Impreſſionis ignorari* poteſt, quum literis grandiuſculis in fronte libri

ære ſit impreſſum, **T' Utrecht**. Quàm tu infeliciter in limine impingis, quàm mox ingreſſu ceſpitas, quàm inauſpicatò exordiris! Hæc initia nihil boni ominis habent. Pergamus.

Antiphona iſta, inquit Magiſter doctiſſimus, *ab Hermanno quidem Contracto compoſita.* Ajunt. *Sed jam pridem ab Eccleſia in Officio Eccleſiaſtico adoptata, 'facilè inter alias de B. V. M. eſt celeberrima: ideoque præcipua cura aſſerendi Tituli, qui illic Deiparæ attribuuntur,' ſi deprehendantur ab aliquo infirmari.* Rectè. *Uti fieri creditur in Verſione iſta nova.* Temerè & indoctè. *Primùm quod ait Eccleſia tam hic quam alibi*, MATER MISERICORDIÆ, *& intelligi poteſt ſimili quodam modo, ſicut* II. *Corinth.* I. PATER MISERICORDIARUM, *hoc eſt, valde miſericors: vel etiam ſicut, quod alibi non ſemel dicitur*, MATER GRATIÆ, *ſeu* DIVINÆ GRATIÆ, *id eſt, Quæ gratiam in nobis precibus & meritis ſuis parit.*

Hoc ſimile amplectimur. Monemus tantùm memoria retinendum, quod nemo neſcit, ſanctiſſimæ Virginis merita, ex Dei gratia, & meritis Chriſti, originem ſumere, omnemque impetrandi vim habere. Illud verò enormiter claudicat, niſi immenſum diſcrimen ſtatuas inter *Patrem miſericordiarum* & *Matrem miſericordiæ*: ut hæc ad ſimilitudinem Dei altiſſimi dicatur *valde miſericors*, quemadmodum

dum rivulus Oceano comparatus, vel Fonti inexhauſto, unde quidquid habet, gratis mutuatur. Si quidem liceat ita de Deo, humano more balbutire.

Pergit Doctor egregius, cenſoriam virgam vibrans, jamjamque percuſſuro ſimilis. *Hanc phraſim tam adamatam Eccleſiæ, & ejus filiis,* ait, *phraſi Batavica Embricenſis non vertit, ſed evertit, ſubſtituendo,* QUÆ SALVATOREM GENUISTI, **Die den Heiland hebt geteeld.** Siſte gradum, ô Cenſor. Fidum Interpretem imbelli manu pulſas, tametſi ſtrenuus tibi videaris. Sumus & nos, Chriſto propitio, Eccleſiæ filii, quibus gratum eſt & adamatum, quidquid hæc, piæ venerationis ergo, illius colendiſſimæ Matri decantat. Neque Trajectenſis Interpres, quem tu *Embricenſem* pro libitu vocas, encomium *Matris miſericordiæ, phraſi Batavica evertit*, ſed bona fide reddidit. Oculos admove, ſapientiſſime Magiſter, & vide quo te abripiat adfectus, dum aliena carpis.

Mater miſericordiæ non vertimus, ut tam intrepidè, nobis inſultando adfirmas, *Quæ Salvatorem genuiſti*, **Die den Heiland hebt geteeld**: ſed ſic planè: **Die den Heiland hebt geteeld / vol van liefde:** id eſt: *Quæ Salvatorem genuiſti, amore plena.* Alioqui quo referas illud, *amore plena*, **vol van liefde /** niſi ad *Mater miſericordiæ*? Prorſus nihil

hil eſt, quo referri poſſit. Habes ergo omninò quod poſtulas. *Matrem miſericordiæ* dicimus, quia JESUM Chriſtum Dei Filium genuit, omnis gratiæ & miſericordiæ largitorem: deinde & quia *amore plena* eſt, clementiæ ſinu veluti pia Mater nos complectens. Quid eſt enim *amore plena*, niſi plena miſericordia, valde miſericors, eximio nos adfectu amans? Nam de amore erga nos ſermonem eſſe in Hymno belgico, eodem Tetraſticho apertè indicatur.

Jam quid dicam, Vir eximie, te contradicendi libidine huc præcipitatum: an ignorantia deceptum? Malim equidem quod levius eſt credere: quamquam leve videri non debet, Theologiæ Doctorem, tot titulorum inſignibus adornatum, tanta apud ſuos autoritate pollentem, declamare in ſcholis Academicis, Theologorum ſtipante corona, in Hymnum, ad ſacrarum Virginum pietatem erga Reginam virginum fovendam, piè & religioſè compoſitum, atque fide integra è latino in belgicum idioma tranſlatum.

Phraſim batavicam non ſatis calles. Ignoſco. Sed res tam manifeſta eſt, ut vix cœcus hallucinari queat, qui animo duntaxat livore vacuo verum veſtiget. Deinde turpe eſt arrodere ac damnare, quod non ſatis perſpectum tenes. Turpiſſimum ineptis foliis bonorum lucubrationes, quibus Eccleſiæ prodeſſe cupi-

unt,

unt, traducere apud rerum ignaros. Dices tamen, & utinam dicas! te quoquo modo fuiſſe deceptum: nam quid aliud dicturus ſis, penitus non videtur. Accipio confeſſionem, ſi publicitus fiat in cœtu Theologico, ubi calumniæ tuba ſonuit.

Interea cuilibet, re ipſa teſtante, manifeſtè jam patet, *adamatam Eccleſiæ phraſim* noſtra interpretatione non everſam, ut temerè pronunciaſti, ſed religioſè & adcuratè redditam: tua autem, Vir præclare, latina verſione belgicam translationem noſtram non verſam eſſe, ſed miſerè dilaceratam, dimidia ſui parte imprudenter mutilatam, atque ita calumniæ morſibus nullo ſuo merito objectam. Reliqua quæ addis, jam ultrò evaneſcunt. Etenim beatiſſimam Virginem, *Matrem miſericordiæ* interpretamur, ut ipſe cupis, & quia JESUM Chriſtum genuit, & quia erga nos *amore plena*, miſericors ſive clemens eſſe non deſinit, ſed *Patrem miſericordiarum* precando rogat, ut nobis gratiæ ſuæ dona benignè largiatur, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Secunda Concluſione: *Quod mox ſequitur*, ait Doctor eximius, VITA, DULCEDO, ET SPES NOSTRA, SALVE, *ſuntque piæ blanditiæ filiorum Eccleſiæ erga tantam Patronam ſuam, id ſic vertens infirmat Embricenſis*: PLENA, ait, AMORE; PLENA CHARITATE, QUÆ NOBIS VITAM COMMUNICAT, *vel* COMMUNICAS:

 nam

nam æquivocum eſt, quod meritò fuiſſet evitatum. Mihi quidem nihil ancipitis ſententiæ hoc ſanè loco in mentem veniſſet, niſi Steyaertio ſuggerente: nec opinor cuiquam in mentem veniſſe, niſi qui verba torquendo, venaretur quod carperet. *Quid verò hoc*, percontando pergit, *ad ſuaviſſimum illud*, VITA, DULCEDO?

Iterum hallucinatur, idque multifariam. Illud, *Plena amore*, à ſuperiori membro temerè avulſum, hic malè adſuit, ita verſionem, caſtè limpidèque fluentem, bis perturbans. Deinde haud ſcio, an cujusquam auribus ſuaviùs illabatur latina vox *Dulcedo*, quàm belgica **Vol van minne**/ quod nobis ſonat, *Amabili dulcedine plena*: **Zeer minnelijk**/ *Gratia plena*, qui primus eſt glorioſiſſimæ Virgini honoris titulus. Ut hic in noſtro Hymno belgicè verſo Angelicum illud omnium ſuaviſſimum Χαῖρε κεχαριτωμένη, reſonare putes.

Jam pro *Vita* in alia lingua, idque carminis lege adſtricta oratione, ſubſtituiſſe *Quæ vitam nobis impartiris* (Nam *Quæ nobis vitam communicas*, neſcio an uſpiam latinè dictum reperiatur) quid, obſecro, habet piaculi? An aliter *vita noſtra* eſt Maria, quàm vitam animæ, quæ gratia Chriſti eſt, precibus ſuis nobis impetrando, atque adeo Chriſtum ipſum quodammodo impartiendo? An non rectè fungitur fidi interpretis officio, qui carmine ſen-

ſum

ſum verborum aptè caſtèque reddit? Quas nobis demum interpretandi leges condet, cujus teneris auriculis durum ſonat, *Quæ vitam nobis impartiris*: quod mihi, fateor, lene fluit?

Ampliſſimus dominus Præſes: *Quod autem*, inquit, *pro τῷ* SPES NOSTRA, *ſubjungit*: QUÆ NOBIS PARIS EUM SUPER QUO SPERAMUS, **Die ons baert op wien wy hoopen** *nemo non videt eodem vitio laborare, quo ſupra relata prima Concluſione.* Imo quis non videt ſapientiſſimum Magiſtrum rurſus ad eundem lapidem impingere? Pia Virgo *Spes noſtra* vocatur, quemadmodum de *Vita* modò diximus, quoniam JESUM Chriſtum, qui noſtra Spes eſt, olim carne nobis genuit, & nunc etiam perpetua quadam fœcunditate nobis gignere non ceſſat, dum hoc precando agit, ut ſpiritus Domini JESU in nobis vivat, creſcat, perficiatur, quo ſpes noſtra quotidie firmior evadat. Id aptiſſimè ſignificat Interpres Belgicus, verbo præſentis temporis uſus. Nihil ergo hic cenſura dignum eſt, præter Cenſoris noſtri cupidinem arguendi rectiſſimè dicta.

Sed jam quoque ferocior inſultat, & veluti induto cothurno proſiliens: *Quis nunc dubitet*, inquit, *quin Titulus ille ſequens, quem & alibi uſurpat Eccleſia*, ADVOCATA NOSTRA, *ab Embricenſi dilui, vel etiam eradi debuerit, ſubſtituto alio tanto inferiore? Ita vero accidit. Nihil pro eo in Verſione comparet, niſi*, ORA-

 TIO

TIO TUA DEO PLACET, **Uw gebedt aen Godt behaegt.**

Quò igitur pertinet hic verſus: *Adjuva nos, quæſumus, tuis precibus?* Sic enim vertimus illa verba, *Eja ergo Advocata noſtra:* **Help ons dog door uwe beden: uw gebedt aen Godt behaegt:** *Adjuva nos, quæſumus, tuis precibus, Deo gratis & acceptis.* Quæ tu jam veluti jure tuo, inſigni imprudentia: nam impudentia dicere nolo: detruncaſti, Magiſter magne. Quòd ſi Belgicam obſecrandi vocem **Dog**, quæ Latino verbo *Quæſumus* ad amuſſim æquipollet, ad ſuperiora referre mavis, ut reddat illud, *Ad te clamamus*, ſenſus nihilominus plenè nobis conſtabit. Nam quid eſt aliud, *Adjuva nos tuis precibus, Deo gratis*, niſi, Eſto noſtra interpellando apud Deum Advocata? Sed tua ſcilicet religioſa ſollicitudo ſibi perdere viſa eſt, quidquid non eodem vocabulo, quo tuæ aures deliniuntur, expreſſum ſonat: & quia nomen malè belgicum **Advocaterſe** noſtris carminibus non quadrabat, hoc lenocinio deſtitutus, illico tumultuaris, quaſi Religio in diſcrimine verſaretur: tantumque pulveris excitas in ſcholis, ut Diſcipulorum tuorum oculis facilè fucum factúrus ſis, niſi quis promptè diſcutiat nebulam inanem.

Compeſce, ſi quid preces valeant, compeſce hos adfectuum tumultus: & rem mecum

ſedato

ſedato animo expende. Sanctiſſima virgo Maria nobis *Advocata* eſt, & quocunque libuerit vocabulo honoris gratia appellare: modò gnaviter ejus officium ab officio Chriſti Mediatoris & Advocati noſtri diſtinguas, & profitearis Advocatam eſſe orando pro nobis Deum per merita Chriſti, qui per ſe ſuique cauſa à Patre exauditur. Nam Sancti, inter quos primum omnino locum obtinet ἡ εὐλογημένη Maria, rogantur à nobis ut nobiscum & pro nobis orent: Chriſtus rogatur ut donet, quæ ipſe ſuo jure à Patre nobis impetrat.

Non pigebit in hanc rem adſcribere, quæ tradit celeberrimus vir, Jacobus B. Boſſuetus, Meldenſis Epiſcopus, contra Heterodoxos disputans, Hiſtoriæ Variationum Eccles. Protes. Lib. XIV. prope finem: *Manifeſtum eſt*, ait, *nihil nos petere à Sanctis, niſi conſortium precum, idque Veterum exemplo. Si quando uſuveniat rogare nos Sanctos, non quidem ut precentur, ſed ut donent ac faciant, hic quoque Veteres nobis prælaxerunt, idque eodem quo nos ſenſu ſunt interpretati, nempe quo dona nobis conceſſa, non tantùm ſupremo Domino qui dedit, verùm etiam interceſſoribus qui impetrarunt, accepta referuntur.*

Exemplum occurrit apud S. Gregorium Nazianzenum, Oratione in S. Martyrem Cyprianum, circiter medium: ubi Virginem quandam laudat, quæ poſteaquam invocaſſet Je-

SUM Chriſtum virginum Sponſum, *etiam B. Virginem Mariam ſupplex rogat:* Καὶ τὴν Παρθένον Μαρίαν ἱκετεύουσα, βοηθῆσαι παρθένῳ κινδυνευούσῃ: *ut virgini periclitanti opem ferret:* nempe precibus ſuis intercedendo. Neque enim fatua virgo fuit, aut ex illa plebe, de qua idem Præſul ejusdem Hiſtoriæ Lib. XV N. CLV. *Cavendum erat*, inquit, *ne imperita plebs Sanctorum invocationem ab invocatione Dei, illorumque interceſſionem ab interceſſione Chriſti, haud ſatis diſcerneret.* Addit autem: *Sed Synodus Tridentina utrumque diſcrimen adcuratè docet, indicans* ORARE SANCTOS, *quod immenſùm differt ab eo qui donat:* & ORARE PER JESUM CHRISTUM, *quod immenſo illos intervallo infra eum collocat, qui per ſe ſuique cauſa exauditur.*

Hæc non neſcit eruditiſſimus Magiſter, nec aliter, ſat ſcio, ſentit. Quid igitur cauſæ fuit, cur Hymni noſtri translationem cenſura invaderet, ad hæc dogmata Eccleſiæ planiſſimè exactam? An nefas putandum eſt, quod credimus, apertè profiteri? Sed de cauſa, quæ hunc impulit, ipſe diſpiciat, & cum Deo mentium ſcrutatore diſceptet: certè illud recogitet velim, venturum aliquando diem, quo de hujusmodi geſtis non diſceptandum erit, ſed ſupremi Judicis ſententiæ ſine diſceptatione parendum. Nos equidem præter Eccleſiæ ſenſum nihil poſuimus in Hymno: quod illa credit,

dit, & profitetur, religioſè ſumus interpretati, nec ullas phraſiologias aut vocabula ei adamata repudiamus, uſuri quoque ubi res feret. Amplectimur enim quidquid Eccleſia probat : tametſi non omnia quæ Theologiæ Doctor quiſpiam grandi pulmone declamat, vel calamo illinit chartis, protinus Eccleſiæ imputamus.

Atque hæc ad cauſam noſtram adtinent: quod reliquum eſt Academicæ Diſputationis, aliorſum ſpectat. Reſtat eximio Theologo, Martino Steyaertio, tranquillam mentem optemus: deinde omnes qui hæc lecturi ſunt rogemus, judicio non adfectu de hac cauſa ſententiam dicant: tum Chriſtum precemur, ut extinctis belli Theologici facibus, quibus animi quorundam malè aduruntur, tranquillitatem reſtituat, foveat, fulciat, ſtabiliatque. Eximius Doctor valet ingenii dotibus, quas veneramur. Utinam meliori cauſæ litaret, donis à Deo conceſſis ſobriè uteretur, & pectore minimè exulcerato concordiam cum bonis omnibus colere non detrectaret! Certè exigua noſtra, religioſæ plebis virginumque Chriſti pietati dicata, dum ipſe rebus magnis vacat, iniquis cenſuris nec mordeat nec proſcindat. Supputet errata ſua quæ deteximus, & ori digitum imponat, calamumque caſtiget. Nos pacem cupimus ex animo, quin & precamur, ne à ſtudiis melioribus avocemur.

Quòd ſi quis omninò digladiari cogat, nec ſpes nec metus, adſpirante Chriſto, ſed amor veri & recti, nobis lex erit & norma agendi.

Hic finem facerem, niſi frivolæ ampliſſimi Domini M. S. animadverſiones, quas Tertia concluſione infarcit, oculos ferirent. Has quoque nænias breviter calligemus. *Dum autem*, inquit, *de hoc* ADVOCATÆ *titulo agimus, obiter mirari libet, quid moverit editores Breviarii Embricenſis, vulgo Hollandici, An.* 1670. *ut in Icone, quæ Officio feſti omnium Sanctorum præfigi ſolet, repræſentatque gloriam cœleſtem, non pro more collocari fecerint* ADVOCATAM NOSTRAM, *loco inferiori adſtantem à dextris Filii ſui; ſed Curiam cœleſtem hac Regina, quin & Chriſto*, REGE *ac* LUCERNA *ejus, deſolatam voluerint* ? O incivile obmurmurandi κακόηθες, quàm tu miſerè divexas, quorum animis inſides! Sed ô dignam gravi Theologo animadverſionem! Quis Chriſtianus tam hebes uſpiam vel tam demens eſt, ut Cœli aulam picta imagine adumbrans, ſtudio velit Chriſtum Regem, ejusque ſanctiſſimam Matrem excludere? Apage puerile commentum, nec viro dignum.

Attamen audi, qui tam religioſè de Imaginibus curas, Meldenſem Epiſcopum, jam dictum nobis, dicendumque. Is è Concilio Tridentino docet: *Non licere, ut uni cuipiam Imagini præ alia peculiarem quis adtribuat*

vir-

virtutem: neque adeo ut unam præ alia frequentet, niſi fiat ad memoriam alicujus miraculi, aut ſacræ cujusdam hiſtoriæ, quæ apta ſit ad excitandos adfectus religionis. Unde contra Proteſtantes concludens ait: *Ita manifeſtum erit, Imaginum cultum non aliud eſſe, niſi ſignum quo apertè teſtamur piam memoriam, quam in nobis excitant:* & quæ deinceps.

Magiſter eximius. *Nam quod ſanctiſſimam Trinitatem contra morem Catholicum nonniſi lucido quodam Orbe & nigro Triangulo ibidem adumbrarunt, factum fortè eſt, quia nondum damnata erat Heſſelii ſententia de ſimulacro Dei Patris in ſacris non adhibendo.* Solve nobis hoc dilemma, Cenſor intrepide: Vel idem docuit Joannes Heſſelius, quod tradidit S. Auguſtinus: vel omnino diverſa ſenſerunt. Si hoc adſumas, confer ſententias, & oſtende diverſitatem. Sin illud tibi fatendum erit, cur Heſſelium mordes anteceſſorem tuum, intacto Auguſtino? Aut utrumque abſolve: aut frontem perfrica, & damna utrumque. Noſti aphoriſmum Auguſtinianum. Nec terreamur ſpectris. Interea hic quoque te docebit Meldenſis Epiſcopus. Auſculta, quæſo, diſſerentem in Admonitione, quam in fronte Catecheſeos Feſtorum dierum legendam dedit. Scribit enim in hunc modum.

Il n'y a que la Feſte de la Trinité, dont il n'eſt pas à propos de propoſer aucune Image: par-

ce

ce qu'encore que les figures qu'on en voit quelquefois dans les Egliſes, puiſſent avoir leurs raiſons, & puiſſent étre expliquées en un bon ſens, il faut prendre garde, que les enfans ne ſoient frappez d'abord de ces idées, dont l'impreſſion demeure trop dans leurs eſprits, & qui leur mettent dans la penſée quelque choſe de corporel. Mais au lieu que dans les autres Feſtes, dont le Myſtere s'eſt accompli viſiblement, on peut concilier l'attention par les Images qu'on en donne, quand il s'agit de parler de la Divinité ou d'expliquer la Trinité adorable, on doit commencer à rendre le peuple attentif, en luy faiſant remarquer qu'en cette Feſte on ne luy propoſe aucune Image ſenſible, parce que ce qui regarde la Divinité & la Trinité des Perſonnes, eſt tout à fait au deſſus des ſens & de l'intelligence humaine.

Hæc, ut lubet, interpretare: & quàm tuis ſenſibus quadrent, ſedulò expende. Sed tantum Præſulem vereberis, opinor. Tutius eſt pugnare cum larvis, quæ non remordent, nec ſemper patronum nanciſcuntur, qui defendat adverſus Cenſorum iras. Video tamen quid huic teſtimonio reſpondere poſſis: ſed nihilo minus video in promptu eſſe, quo ſecurè refellam reluctantem. Vereor equidem, Vir ampliſſime, ut candidè quod res eſt dicam, ne quibusdam, quos videmus immodicò ſtudio pro ſimulacro adorandæ Trinitatis tumultuari, id

id pueris accideriț, quod cavendum monet laudatus Præſul: *Cavendum*, inquiens, *ne pueri percellantur hujusmodi ideis, quarum impreſſio eorum animis nimis inhæreat, & quæ corporea rei quidpiam eorundem menti ingerunt*: uti mox audivimus gallicè diſſerentem. Hinc etiam viri facilè ſibi fingunt, *contra morem Catholicum* eſſe, quidquid conſuetis mentis ſuæ figmentis non adblandiri vident.

Hic mihi in mente obverſatur rudis illa Monachorum caterva, qui Theophilo Alexandrino epiſcopo olim inſultabant, quod Deum humana ſpecie præditum eſſe negaret: & propemodum injeciſſent manus, niſi commodè callidèque dicto animorum impetum retudiſſet. Sed hoc velut *Impertinens* huic disputationi adjectum eſto.

Ad te redeo, ampliſſime Præſes. Dicam aliud quidpiam, quod meo nunc occurrit animo. Tu, ſi lubet, viciſſim candidè reſpondebis. Ante Romanum iter vir oppidò Catholicus, olim Magiſter tuus meusque, Lovanii in faſtigio aræ domeſticæ deſcribendum curavit Triangulum, Symbolum S. Trinitatis: *contra morem Catholicum*, te quidem judice: adhuc, niſi fallor, eodem loco conſpiciendum. Dum ergo in his verſamur, *obiter mirari libet*, nam tuis verbis lubenter utor, quid te moverit ut noſtra arriperes, Breviario Hollandico malam inſigens notam, dum domi eſt quod

eodem jure carpas, nec id te clam eſſe poſſit? Sed fortaſſe domi ſatis turbatum eſt: nunc ad exteras gentes transferendum eſt bellum. Verùm ſi hujusmodi auſpiciis rem geras, Vir eximie, nil tibi vaticinamur præter clades & inutilis dispendia laboris: idque tandem videris lucrifacturus, ut Cenſor quispiam immitis, non *lucido* radio, ſed *nigro* Θ, malè pugnantium te claſſi inſerat.

Quod ſubdis de Adſumptione beatiſſimæ Virginis, magno adfectu tibi faveo, doctiſſime Magiſter. Utinam quod fortiter dicis, ſolidè & invictè confirmare poſſis: ſitque hoc dogma tanta certitudine nixum, quanta & tu credis, & nos prono animo cupimus. Interim te remitto ad eruditiſſimi viri Tillemontii hac de re disſertationes: quas ſi refellere & enervare poteris, argumentis è theſauro Traditionis depromptis, rem feceris omnium eruditorum præconio dignam, piis glorioſiſſimæ Virginis cultoribus gratam, mihi quidem, quod ut credas rogo, gratiſſimam & egregia laude celebrandam. Vale, Vir eximie idemque ampliſſime: & ſi quid ſcripſi, quod palato tuo minus dulce ſapit, puta ex ipſa re, non ex animo meo eſſe profectum: &, ſi culpa eſt maſculè reſpondiſſe, majorem eſſe perperam provocaſſe. Ego hæc ſatis invitus, quod ſæpe dicendum eſt, & genio reluctante ſcripſi: nec ferè niſi cum tædio in hujusmodi conten-

tionibus verſor, à placidis interea ac tranquillis S. Scripturæ meditationibus, & ſtudiis amœnioribus avulſus. Utinam in argumento lætiore hunc tibi animum comprobare detur! Chriſtus tibi eandem mentem impartiatur. Ut extinxto rixandi morbo, pax ejus aureo fratrum pectora vinculo nectat. Vale.

§. II.

HYMNI MARIANI SCHEMA EMENDATUM.

Præter Diſputationem Academicam eximii Domini ac Magiſtri M. Steyaertii, prodiit aliud leve Folium ſine nomine, ad normam Diſputationis Steyaertianæ concinnatum, & in vulgus ſparſum, quo Hymnus Marianus cum Verſione belgica velut in ſchemate exhibetur, addita ad latus eximii Diſputatoris interpretatione latina eorum verborum quæ malè converſa putat. Luſus innoxius, ſi res veritate niteretur: nunc quando mera eſt calumnia, matre temeritate & imprudentia nata, atque ad exulcerandos animos natura ſua comparata, ineptum Folium Schemate emendato & meliore fide nixo elidamus.

HYMNUS MARIANUS,
Qui incipit
SALVE REGINA:
Cum Verſione Belgica,

Anno M. DC. XCI. approbata, & typis evulgata: nunc denuò tertia editione Trajecti excuſa. M. DC. XCIX.

Salve Regina, MATER MISERICORDIÆ:	*Wees gegroet ô Koninginne*, DIE DEN HEILAND HEBT GETEELD, VOL VAN LIEFDE,
Vita, dulcedo, & SPES NOSTRA, ſalve.	*Vol van minne, die ons 't leven medegedeelt*: DIE ONS BAERT OP WIEN WY HOOPEN,
Ad te clamamus exules, filii Hevæ: ad te ſuſpiramus gementes & flentes in hac lacrymarum valle.	*In dit droevig tranendal, daer w' als ballingen nu loopen, zugtende over Adams val.* Help ons *dog.*

EIA ERGO, ADVOCATA NOSTRA illos tuos miſericordes oculos ad nos converte.

HELP ONS dog DOOR UWE BEDEN: UW GEBEDT AEN GODT BEHAEGT. *Slae uwe oogen nae benéden.*

Et Jeſum, benedictum fructum ventris tui, nobis poſt hoc exilium oſtende.

Toon ons, goedertiere Maegd, eindlijk naer dit ballingleven, Jeſus dien gy hebt gebaerd, die ons't eeuwig rijk zal geven.

O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo Maria!

O goedertiere Maegd, *Maria zoet van aerd.*

Nam illud ex ſuperiori Tetraſticho, Goedertiere Maegd/ *Virgo clemens*, huc quoque eſt referendum. Sic ſe habet Hymnus noſter, æquis rerum arbitris probandus, niſi me mens mea fallat. Jam ut ampliſſimus Magiſter noſter perturbarit, uno oculorum intuitu denuo conſpicemur.

Steyaertius. MATER MISERICORDIÆ. Die den Heiland hebt geteeld. *Quæ Salvatorem genuiſti.* *Interpres Belgicus. MATER MI-

Misericordiæ. **Die den Heiland hebt geteeld, vol van liefde.** *Quæ Salvatorem genuiſti, amore plena.*

Steyaertius. Spes nostra. **Die ons baert op wien wy hoopen.** *Quæ nobis paris eum in quo ſperamus.* Sic quidem Interpres, at eodem, quo ſuperiori membro, ſenſu intelligendus. Quæ nobis Chriſtum, vitam noſtram, olim carne, nunc precibus paris.

Steyaertius. Advocata nostra. **U gebedt an Godt behaeght.** Nam ſic omnem idiomatis puritatem contaminant, nec ortographiam, nec pronominis ſubſtantivi & adjectivi discrimen, nec genus, nec numerum, nec caſum, nec denique quidquid ad linguæ caſtitatem & elegantiam facit, in Belgico idiomate ſervantes. Igitur, **Uw gebedt aen Godt behaegt.** *Oratio tua Deo placet.*

Interpres Belgicus. Eia ergo, Advocata nostra. **Help ons dog door uwe beden: uw gebedt aen Godt behaegt.** *Adjuva nos tuis precibus, quæ ſunt Deo grata.* Quod tantundem valet, ac ſi dicas: Eſto noſtra valido precandi patrocinio apud Deum Advocata. Nempe ut te nobiscum, & pro nobis, piè enixèque rogante, clementiſſimus Pater, per merita Filii ſui, Domini & Salvatoris noſtri, Spiritus ſui dona benignè largiatur. Pridie S. Luciæ Virginis & Martyris. M. DC. XCIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE